



• S • G • B • T • B •



• T • G • G • T •



z. B. A. h

W. A.

J. q. 259.



COLLEGII TERTII 45
In Augustanam Confessionem

DISPUTATIO XII.

continens

OESEIN ARTICVLI VII.

De

ECCLESIA,

Proposita

In Electorali Academia VVittebergenfi

P R Æ S I D E

JACOBO MARTINI S.S.Th.

Doct. & Profess. Publ. Primario, Facult. Theol.

Seniore, ac Templi Arcis Præposito,

RESPONDENTE

M. MATTHÆO Grosser Facult. Philosoph.

Adjuncto, Elect. Alumn.

In Auditorio Collegii Veteris

Ad diem 6. Junii.

WITTEBERGÆ,
Typis Hæredum SALOMONIS AUERBACH, Acad. Typogr.
ANNO M DC XXX.

Proto-synedrii Elect. Sax. quod Dresdæ est,

Præsidi Generoso ac Strenuo

DN. FRIDERICO à Metsch in Schwichenbach & Friesen
Hæreditario, Aulae Elect. Dresd. Consiliario, Cæterisq;
ejusdem Assessoribus & Consiliariis eminentissimis,

VIRIS

*Admodum Reverendis, Nobilissimis, Magnificis, Am-
plissimis, Consultissimis, & Excellentissimis*

DN. MATTHIÆ HÖE AB HÖENEGG
in Gönsdorff/Ober- & Nieder-Rachwitz hæ-
reditario, Theologo nominatissimo, Sacri
Palatii Lat. Comiti splendidissimo, Sere-
nissimo Electori Saxoniae à Concionibus
aulicis, Confessionibus Sacris, &
Consiliis Ecclesiasticis
primariis,

DN. ÆGIDIO STRAU-
CHIO SS. Theol. D. eximio,
Ecclesiae Dresdensis ad Di-
vam Crucis Pastori, & Vici-
narum Superintendenti
dignissimo juxta,
ac vigilantis-
simo,

DN. LEONHARTO KÖPPELIO
Jcto celeberrimo, Serenissimo Electo-
ri Sax. ab Appellationum Con-
siliis,

DN. NICOLA O HELFRI-
CHIO, J. U. D. famigera-
tissimo, atq; honora-
tissimo,

NEC NON

Viro Clarissimo & Spectatissimo

DN. JOHANNI SEUSSIO, Secretario meritissimo,

*Dominis Evergetis, ac Promotoribus ut unicis & summis, ita
summopere colendis atq; venerandis*

Hanc disputationem Theologicam
In Sui suorumq; studiorum Theologorum promotionem
tanquam grati animi pignus

Observanter offert

M. Mattheus Grosser Liebst-Misn.
Fac. Phil. Adjunct.



Continuatio.

HXpeditis haecenus quibusdam articulis, ad omnium hominum salutem necessario spectantibus, utpote de Sacrosancta Trinitate, tanquam primo fidei nostrae fundamentò, de peccatò originis, de Christo Servatore, de justificatione, de ministerio verbi & Sacramentorum, & de bonis operibus; nunc porrò Homologesis nostra ad insignem amplissimumque de Ecclesiâ articulum accessum facit: In quâ solâ de causis salutis nostrae, verisque justificationum hominum fructibus agitur; Quare etiam hic articulus ex præcipuis merito habendus, tum quod in illa Apostolorum Epitome symbolica comprehensus: tum quod multæ semper veram Ecclesiam oppugnârunt, hæreses, falsam jam inde à mundi exordiò speciosiore formâ obtrusit Satanas, & Pandoram istam, suam, calore pictam, panduram, auribus impiorum gratam, Curia Christi, ut Ecclesiam appellitavit Tertullianus, quàm proximè voluit conjunctam. Cum itaque maximè sit necessarius, ut rectè & juxta Sacrosanctæ Scripturæ normam tractetur; illum paulò diligentius discutere & ventilare, DEO juvante, proposuimus.

THESES

1. Sic autem habent verba articuli hujus septimi: *Item docent Ecclesiæ nostræ, quod una sancta Ecclesia perpetuò mansura*

vera sit. Est autem Ecclesiæ congregatio sanctorum in quâ Evangelium rectè docetur, & rectè administrantur Sacramenta. Et ad veram unitatem Ecclesiæ, satis est consentire de doctrinâ Evangelii & administratione Sacramentorum. Nec necesse est, ubique esse similes traditiones humanas seu ritus aut ceremonias ab hominibus institutas, sicut inquit Paulus: Una fides, unum baptisma, unus Deus & Pater omnium &c.

II. Ubi initiò observandum est Imperatoris Caroli Quinti & Principum Pontificiorum de hoc articulo iudicium, durum sanè & perversum; *quem, dicit, non posse citra fidei præiudicium admitti*: Verùm quia in Apologiâ Augustanæ Confessionis sententia huius articuli genuina & vera fusè explicatur & confirmatur, calumniaque Papistarum satis diluitur, eò lectorem remittimus.

III. Andreas Fabricius de unitate Ecclesiæ & fidei in ea disputata, exprobrat, & objicit nobis dissensiones Theologorum & Ecclesiarum protestantium. Verùm quia de hoc argumento in præfatione Principum in libro concordiæ sufficienter actum est, illa videatur.

IV. Johannes de Daventriâ contradicturus definitioni Ecclesiæ, sibi ipsi contradicit, ita ut tandem pro nobis concludat, *in Ecclesiâ bonos & malos esse: sed aliam Ecclesiam esse absconditam, quam post pauca internam vocat, definitque, quod sit congregatio sanctorum*: Postea declamitat de excellentiâ & auctoritate Ecclesiæ Catholicæ, per quam Romanam intelligit, sed hodiè Jesuitæ solum Papam Romanum. Nos illa Ecclesiæ tribuimus Encomia & auctoritatem, quam nobis indicat sacra Scriptura: docemusque, omnia illa Ecclesiæ competere, quatenus & quamdiu vocem sponsi sui audit & sequitur. Cæterùm facit Monachus iste discrimen inter *benè fideles & malè fideles*. Risum teneatis amici: perinde est ac si quis dividat virtutem in bonam virtutem & malam virtutem. Quod enim mala virtus est, id malè fidelis est, hoc est, non-virtus, non-fidelis: contradictio mendacissima. *Αδύνατον* igitur planè est, dare malè fidelem; quippè qui à fide dicatur, quæ fides Christum

stium amplectendo nos beat, & omnis generis bonis cumulat. Crassissimus verò hic error inde est: quod Papani nudam historiae Evangelicæ notitiam, vel assensum & Professionis vocitant fidem. Nos vero fideles cum scriptura dicimus illos, qui fiducia certâ ac vera, & sic fiducia in Christum firma ac certâ præditi sunt.

V. Neque silentio prætereundam est, quod monachus iste pag. 168. scribit, *sacris nimirum scripturis nihil fore virium, nisi ab Ecclesia essent receptæ*, hoc est, (ut explicat Cardinalis Hosius tom. i. operum adversus Brentium) *scripturas tantum valere, quantum Æsopi fabulas, si Ecclesie autoritate destituantur.* Verum blâsphema hæc sunt, istiusmodi cacodoxis impostoribus digna. Scripturæ divinæ autoritas & virtus non depender ab Ecclesiâ; sed à solò DEO: quippe à quo inspirata est, & per prophetas & Apostolos promulgata,

VI. Neque hoc silentio involvendum, quod porrò subsequente pagina 169. c. i. scribit, *contingere posse, ut alicubi purè doceatur Evangelium, & sacramenta ritè administrantur, ubi mox etiam non sit sanctorum congregatio.* Verum & isti contradictionem implicant: perinde namque est, ac si dicas, contingere posse ut alicubi audiatur & operetur spiritus sanctus; ubi tamen non audiatur & operetur. contrarium nos asserimus & inculcamus, ubi, ubi voce DEI ad homines sonat, & sacramenta ritè dispensantur; ibi domum DEI esse, & sic veram Ecclesiam ibi Deum habitare, & efficaciter operari, juxta illud Prophetæ, *Certè quemadmodum descendit imber, & nix de cælo, & illuc non revertitur sed inebriat terram, & gignere facit eam, & germinare eam facit, & dabit semen ferendi & panem comedendi: sic erit verbum meum, quod egreditur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, sed facit, quod volo, & prosperatur in his, quæ misi ad ipsum, Esa. 55. v. 10. & 11.* Quare de verbò DEI, ut & de sacramentis magnifice loquamur: quippe est Spiritus & vita, *Job. 6. v. 63.* Et Moses excepit viva eloquia, quæ nobis tradidit, *Act. 7. ad Rom. 1.* Evangelium est potentia DEI ad salutem &c.

VII. Tandem subjicit Ecclesiæ quasdam notas, & negat, decreta.

decreta Ecclesiae rectè appellari traditiones humanas. De quibus infra agemus.

VIII. Johannes Hoffmeisterus totus noster esse videtur: *Quæ hic articulus habet, inquit, mihi per omnia probantur; & addit rationem, ob quam confutatores hoc articulo non nihil fuerunt offensi, diserteque contradicit Johanni de Daventriâ: In solâ, inquit, sancta catholica & Apostolica rectè habetur verbum Dei. Interim concludit, etiamsi prima arma adversus hæreticos ex sacris bibliis depromta fuerint: Postea tamen propter vafritiam hæreticorum concursum esse ad Petri cathedram, idq; etiam nunc faciendum esse.*

IX. Si nomine cathedræ Petri intelligatur Apostolica doctrina in sacris literis comprehensa, ut cathedra Moïsis significat doctrinam Mosaicam; res plana & certa est: Verum sic non potest opponi sacris bibliis. Quod verò quia facit hic Hoffmeisterus, manifestum inde est, ipsam suos sequi præceptores, & nomine illo designare Papam Romanum: à quo verè nos definitivam sententiam expectare neque possumus neque debemus: quippe quem reum esse scimus infinitorum crassissimorum errorum, & quæ fidem, & quæ mores, ita tamen ut à posterioribus Episcopis Romanis, qui vi & fraude imperium super Ecclesiam ad se rapuerunt & occuparunt, 2. Thess, 2. distinguamus priores, quos multos novimus doctissimos fuisse & sanctissimos.

X. Cæterum & hic articulus mutationem passus est aliquam in Ecclesiae descriptione: Nam pro eò, quod prototypon habet: *Est autem Ecclesia congregatio sanctorum, in quâ Evangelium rectè docetur & rectè administrantur sacramenta: Exemplaria variata posteriorum editionum sic habent: Est autem Ecclesia Christi propriè congregatio membrorum Christi, id est, sanctorum, qui vere credunt & obediunt Christo: Etsi in hac vita huic congregationi, multi mali & hypocritæ admixti sunt usq; ad novissimum iudicium. Habet autem Ecclesia propriè dicta signa sua, scilicet puram & sanam doctrinam, & rectum usum sacramentorum.*

XI. Mu-

XI. Mutatio hæc palmarium videtur habere ijs, qui variationi patrocinantur: tum propter determinationem illam adverbij, *proprie*: tum ob ἐξήγησιν illam, id est, *sanctorum*, tum denique, *de malis & hypocritis admixtis*.

XII. Verum priora ista duo ἀσυστά sunt. Nam adverbium illud *proprie* sive referatur ad significationem verborum, sive ad ipsam rem significatam, vitiose insertum est: tum quod per se constet, in definitionibus verba in propria significatione accipienda esse: tum quod in re significatâ æquivocationem importent; dubitari enim potest; an per membra Christi soli electi intelligantur, an simul includantur temporarij, qui ad tempus verâ fide sunt præditi, non verò finaliter in ea perseverant; tum etiam, si describatur visibilis Ecclesiâ, intelligaturq; totus cœtus baptifatorû hisce in terris, planè consistere nequit. Siquidem non omnes in visibili Ecclesiâ & baptifatorum cœtu sunt *proprie*, hoc est, vera ac viva membra Christi: taceo quod membrum Christi & sanctus non simpliciter idem dicant. Nam membrum & quidem vivum Christi *proprie* id est, quod Christo est insertum per fidem: Sancti autem etiam dicantur à justitiâ habituali & sanctificatione, quæ insertionem illam in fidelibus sequitur, fidei autem justitiam semper præsupponit, quo sanè & ἐξήγησις illa vitiosa arguitur.

XIII. Sic alienum quoque est postremum, quippe sequentis statim octavi articuli, ex professo de illâ hypocritarum mixtione conscripti, proprium. Ut ergo variationem in precedentibus articulis ubique rejecimus, sic neq; in hoc probare possumus.

XIV. Articulus verò hic tractat locum unum de Ecclesiâ ut illustrem valdè atq; amplum: Ita varie tum confessoribus cum Papatu potissimum controversum. Quocirca etiam illi soli videtur oppositus; quæ & jam caussa est, ut sit ὁμοιομερής, & sola θέσει constet. Nos nihilominus ut in præcedente fecimus, explicatâ θέσει in confessionis verbis contentâ, ἀντίθεσιν subijciemus, & quæ contra nostram orthodoxiam in hoc articulo disputat Becanus, examinabimus.

XV. The-

XV. Thesis illa quadrimebris est, continens nimirum & explicans quatuor quæstiones. 1. An sit Ecclesia. 2. Quid sit. 3. Quæ sint veræ ejus notæ. & 4. Quæ rituum sive ceremoniarum ratio. De quibus ordine.

XVI. Quæstio prima affirmatur, simulq; quasi probatur annexis adjunctis ac proprietatibus.

XVII. Affirmatio hæc est; *Item docent, quod Ecclesia sit: Ea consentit cum symbolò nostrò Apostolicò: Credimus Ecclesiam.* Quid? Quod nunquam ab ullis, Andreanos & Donatistas si excipiamus, dubitatum fuerit, esse aliquam Ecclesiam: Cum insolens planè ac augustum semper hoc fuerit nomen; & nullus unquam repertus populus, ne hæreticus quidem ullus, qui non ejus titulum & dignitatem sibi vendicaverit. Inter Christianos idem confirmat & ipsa cujusque κλησις, unde ἐκκλησία, & inde κλητοί, Rom. 8. v. 30. & Dei patefactio facta in cœtu visibili, & ipsa verbi prædicatio, quam in conventu publico suscipi oportet. 1. Cor. 11. v. 16. tum verò cujusq; necessitas; siquidem non est habiturus DEUM patrem, qui non habet Ecclesiam matrem. Ne prolixius concludam, quod quia DEUS Rex & Dominus, Psal. 105. v. 7. Malachia 1. v. 6. ideo servos & subditos in terris habeat: quia Christus sponsus Matth. 25. v. 12. in terris sponsa ejus 1. Cor. 11. v. 12. quia hic sceptrum habeat. 1. Petr. 2. v. 5. ergo & populum sibi servientem: quia redemptor sit: ergo sint etiam, quos redemerit.

XVIII. Est vero ipsum Ecclesiæ, quemadmodum & synagogæ nomen Græcum, Græcisq; idem est, quod Hebræis קהל Kahal & עדah Edah: Latinis evocatio, concio: Ac licet aliquando sumatur pro hominum profanorum & maleficorum turba & concursu, ut Act. 19. v. 32. Psal. 26. v. 5. tamen recepta significatione, denotat cœtum præconis voce, aliove signo, evocatum: neq; aliud Græcis est autoribus τὸ ἐκκλησιάζειν, quam ejusmodi cœtum sive concionem evocare. In specie verò & κατ' ἐξοχήν in Theologiâ nostra eorum cœtum denotat, qui è toto genere humano, præconio verbi divini, ad Christianæ fidei notitiam evocati sunt.

XIX.

XIX. Quamvis etiam Ecclesiæ nomen usitatus sit pro Christiano cœtu, quam Synagogæ: tamen ne hanc quidem appellationem scriptura respuit: Videatur *Jacob. 2. v. 2. 2. Thess. 2. v. 1. Hebr. 10. v. 25.* Cum enim utriusq; Testamenti, Veteris & Novi, Ecclesia una eademq; sit quoad essentiam, quid veret, uno eodemq; nomine utrumq; populum indigitare? Nihilominus, ut diximus, usitatus est nomen Ecclesiæ de Christiano cœtu: sic etiam illud retinemus & usurpamus.

XX. Sacrilegium ergo committere Pontificios, statim intelligitur, qui communis hujus tituli dignitatem, ad solum & unum rasorum Clericorum ordinem, imò ad solum Pontificem Romanum transferre satagunt.

XXI. Quin potius Ecclesia hoc sensu generaliore pro vocatorum cœtu ac grege sumpta, tam late suos diffundit terminos, quam late ipse patet orbis Christianus: ac proinde non tam Clericos, vel etiam electos, quam omnes omnino, quotquot vocati, ac in mortem Christi, nomine Trinitatis baptisati sunt, eandemque fidem profitentur, suo ambitu comprehendit.

XXII. Unde inferimus, in hoc vocatorum grege qui versantur, illos in Ecclesiâ versari: & vice versa, extra eorundem societatem qui reperiuntur, illos extra Ecclesiam, & foris in infidelium contuberniò, ac proinde extra salutem constitutos esse.

XXIII. Etsi enim hæc vocatio sola ad salutem non sufficit, salus tamen ut alicui obvenire queat, in Ecclesia efficitur, juxta illud Gregorij Moral. 35. *Extra Ecclesiam non est salus.*

XXIV. Consideratur autem universalis hæc Ecclesia, ex genere humano collecta, ratione status & consummationis, vel quatenus in cœlis cum DEO vivit, de peccatò, mundo & Sathanâ triumphans: vel quatenus hisce in terris adhuc constituta, sub vexillo crucis & religionis Christianæ, contra potestatem Satanae, peccati & mundi dimicat: quæ militans appellari consuevit. Differunt hæc duæ, ut terminus & modus, ut τὸ εἶναι καὶ τὸ γινέσθαι: ut perfectum sive absolutum, & inchoatum

B

choatum

choatum sive imperfectum: Verum de triumphante non est nobis quæstio; sed tantum de militante.

XXV. Ad hanc ergo referenda sunt adjuncta, sive proprietates, statim in confessione additæ, quorum sunt tres: 1. quod perpetuò eadem sit mansura. *Item docent (inquit confessio) quod una sancta Ecclesia perpetuò mansura sit.*

XXVI. Primum ergo Ecclesiæ adjunctum vel potius axioma in eo consistit, quod non plures, sed unam nos credere Ecclesiam profiteamur.

XXVII. Etiam si enim multæ particulares dicantur esse Ecclesiæ, locis, regionibus & provincijs distinctæ; Una tamen est universalis Ecclesia, quæ particulares reliquas omnes, ceu filias, suo gremio complectitur.

XXVIII. Unde consequens est, quicumque à particulari vera Ecclesia, quacunque de causa discessionem facit, eum ab universali sive Catholica secedere Ecclesia, ac proinde schismaticum esse.

XXIX. Ad constituendam verò veræ Ecclesiæ unitatem ea primum requiritur *spiritus communio*, quæ nos summo capiti & angulari lapidi Christo agglutinat & consociat: ut apud *Johannem 17. v. 11.* ipse orat Dominus: *Pater sancte, conserva eos per nomen tuum, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut & nos.*

XXX. Deinde requiritur *consensus fidei & doctrinæ cælestis*: *Item. mutue dilectionis vinculum*, quod Paulo teste, *Col. 3. v. 14.* Christianos simul omnes in unum corpus perfectum devincit. Uti etiam idem Apostolus unitatis hujus rationem explicat, *Eph. 4. v. 4. & seqq.* *Unus, inquit, est Spiritus, una spes vocationis, unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus, & pater omnium, unum Christi corpus, quod est Ecclesia.* Et Salomon in *Canticis, cap. 6. v. 8.* *Una est columba mea, una est perfecta mea.*

XXXI. Unitati huic nihil derogant schismata sive disensiones, modo illæ fundamentum fidei non concernant & evertant. Comprobat hoc tum ipsorum Apostolorum historia, quos plurimum sæpius discrepasse opinionibus constat:

Tum

tum Corinthiaca Ecclesia, quam mutuis dissensionibus laborasse, testatur Apostolus, *1. Cor. cap. 11. v. 18. & 19.*

XXXII. Neque etiam ceremoniarum & rituum dissonantia, quam magno hiatu nobis Pontificij obijciunt, huic unitati veræ Ecclesiæ quicquam officiant. Nam & nos ipsi substantiam Christianismi, ritus & ceremonias, non autem quaslibet, sed eas, quas Christus ipse instituit, sacramenta nimirum, ita necessario requirimus: ut quæcunq; Ecclesia in ijs, quoad substantiam, vel minimum immutaverit, eam jam ab unitate veræ Ecclesiæ excidisse, ultro fateamur.

XXXIII. Et in harum quidem ceremoniarum sive rituum usu, quoad substantialia, maximam nostris Ecclesiis intercedere conformitatem & consonantiam, ne ipsi quidem negare possunt Pontificij. Quoad alias ceremonias, verbo Dei non contentas vel mandatas, respondemus, genus quidem esse necessarium, nempe ordinem, ut secundum Apostoli præceptum, omnia in Ecclesia fiant *εὐσχημόνως καὶ κτ' τὰς εἰς, 1. Cor. 14. v. 40.* Verum quoad speciem ipsam, hos vel illos ritus, sicuti eorum congruentia, unitatem Ecclesiæ non constituit: sic diversitatem illorum, eandem non turbare aut divellere asserimus, sed de his pluribus infra in quarto membrò.

XXXIV. Cæterum Ecclesia, quamvis per essentiam una sit atq; eadem, propter circumstantias tamen atq; accidentia & formas externas docendi gratia distinctiones admittit. Et primum quidem, quia Ecclesiæ mendacium & corruptio accidit; ratione veritatis Ecclesia Christi opponitur multitudinì impiorum: Atque sic Ecclesia in falsam & veram dispescitur. Illa malignantium vocatur Ecclesia, & conventiculum potius impiorum est, & conspiratio contra Christum, & veritatem Evangelicam & cœlestem: Hæc Christi & fidelium Ecclesia appellatur. Illa itaq; incorruptam verbi cœlestis doctrinam atque illibatum sacramentorum usum habet, conservat, propagat: Hæc contra verbi cœlestis doctrinam corrumpit, usumque sacramentorum, quoad substantiam adulterat.

XXXV. Utraque verò non à toto simpliciter, sed à po-

riore suam sortitur appellationem. Quandoquidem ut Ecclesia fidelium nunquam ita pura est, quin mixti sint & impuri aliqui, & de doctrina Christianâ vel malè vel nihil omninò etiam sentientes: propter quos tamen major credentium pars Ecclesie veræ nomen non amittit: ut in Ecclesiâ Apostolicâ fuerunt Ananias, Nicolaus, Simon Magus &c. qui veræ Apostolicæ Ecclesie nomen mutare non potuerunt. Sic è contra nullius falsæ Ecclesie, si saltem verbum Dei & usum Sacramentorum aliquem retinent (His namq; totaliter amissis nō falsa, sed nulla dicenda foret) tanta esse potest depravatio aut corruptio, quin semen aliquod Ecclesie veræ istic lateat, uti in Ecclesiâ Pharisæicâ Zacharias, Simeon, Maria &c. Verùm propter hos paucos Pharisæica Ecclesia non etiam poterat dici vera Ecclesia.

XXXVI. Deinde consideratur Ecclesia militans, de quâ agimus, rursus bifariam: vel ex vocatione, quatenus ex visibilibus signis præconii verbi cœlestis, & rituum Sacramentalium, ab hominibus cerni ac dignosci potest: ac ob id *visibilis* appellari, vel strictiore Electionis respectu, qualis coram Deo est, ipsique soli nota, ac Electos solos respicit: Et hinc *invisibilis* dicta.

XXXVII. Hæc verò distinctio dependet non à naturali aliquâ proprietate aut diversitate subjectorum, sed à iudicio duntaxat & censurâ, quæ de Ecclesia instituitur, vel externâ oculorum *νεῖον* vel interno fidei *νεψυχη*. Quam etiam ob causam non introducit duas Ecclesias sibi invicem contrarias; sed relinquit, ut hisce in terris est militans, unam, distinctè verò consideratam, & quidem ita, ut invisibilis Electorum cœtus non nisi in visibili vocatorum congregatione sit quærendus & inveniendus: Visibilis verò præter hos, hypocritas etiam & malos complectatur.

XXXVIII. Quocirca invisibilis Ecclesia ita dicitur, non quod membra ejus sub externum conspectum non veniant; sed quod partim ipsa Electio sit invisibilis: partim verò notæ ac proprietates Electorum, utpote in corde latentes, cerni nequeant: siquidem non qui in propatulo, sed qui in occulto est

Chi-

Christianus, is verè Christiani nomen obtinet, *Rom. 2. v. 29.*
Quo respectu Psalter in Epithalamiò Christi & Ecclesiæ canit,
omnem gloriam filia Regis esse intrinsecam, *Psam. 45. v. 14.* Et
Servator regnum Dei cum observatione venire negat, *Luc. 17.*
v. 20. Et Apostolus, Dominum, qui sint sui, nosse, pronunciat,
2. Timoth. 2. v. 19.

XXXIX. Atque hujus invisibilitatis respectu dicimus
& confitemur in symbolo: *Credo Ecclesiam Catholicam.* Cre-
duntur enim non visibilia, sed invisibilia, *Hebr. 11. v. 1.* Visuntur
quidem Electi, (ut ex dictis patet) quam diu in terris versan-
tur: & non erant invisibilia illa septem hominum millia, quæ
non flexerant genua coram Bâal, licet ea non videret Elias,
1. Reg. cap. 19. v. 18. sed visuntur non ut electi, sed ut homines &
ut vocati. Non ergo *πρώτως* visuntur, sed tantum *δεύτερος*
καὶ ἐπομύτως.

XL. Visibilis Ecclesia est cœtus vocatorum, qui ean-
dem tenet fidei professionem, eodemque Sacramentorum usu
externo, inque oculos incurrente, participat. Vocatur ergo
visibilis, non tantum quia homines, ex quibus constat, sunt
visibiles, sed propter duas illas externas notas, in ipsum sensum
& visum incurrentes: atque sic potissimum propter ordinem
illum externum & formam aspectabilem.

XLI. Cœtus ille vocatorum quanquam Electis nun-
quam careat, imò Electi non sint nisi in vocatorum cœtu; mi-
xtus tamen est ex electis ac improbis sive hypocritis, vel con-
sistentibus de doctrinâ, vel certè eidem palam non repugnâ-
tibus. Quod verò quamvis ita sit, cœtus tamen iste non ap-
pellatur Ecclesia, nisi propter Electos. Quemadmodum enim
acervus tritici, licet admixtas habeat paleas, non tamen pa-
learum, sed tritici acervus dicitur: qui propter triticum a-
cervus est: Et ager non zizaniorum; sed tritici dicitur, cujus
gratiâ ager ille cultus est, quamvis in eò non absint zizania: Ita
Ecclesia propter Electos dicitur Ecclesia; quia propter istos fit
vocatio & congregatio.

XLII. Hæc ipsa per se visibilis Ecclesia triplici ratione

invisibilis quandoque fit. 1. Quando Orthodoxam doctrinam, quam prius amplectabatur, abjicit, ut cum civitas aliqua ejerato Christo, in Mahumeti verba jurat, aut quæ locum, in quo hærebat, relinquit: ut cum Christianorum, Hierosolymis agentium, cœtus, desertâ urbe, Pellam migravit. 2. Quando Tyrannorum furore ita conturbatur externa Ecclesiæ forma, ut ereptâ coëundi libertate, illa & congregari desinat & conspici. Sic persequente Dracone, in solitudinem fugit puerpera. 3. Invisibilis fit Ecclesia respectu illorum, qui vel infirmitate humanâ præditi; ut olim Elias, 1. Reg. 19. eam inter impios latitantem, non animadvertunt: vel odii glaucomate excœcati etiam lumine necessariò destituti, æreaque solùm tractantes, aurea non internoſcunt; his enim, ut tectum est Evangelium, sic & Ecclesia tecta atque invisibilis est, 2. Cor. 2. v. 3. & 4.

XLIII. Quicquid autem horum accidat, semper tamen est visibilis aliqua in terris Ecclesia, in terris, inquam, ut non magis Romæ, quam Wittebergæ vel alibi. Neque ex eò, quo visibilis est, sequitur, eam solùm visibilem, nec diverso respectu invisibilem esse. Sanè ipsius Romanæ Curie advocati, hujus doctrinæ veritatem agnoscere coguntur. Sic enim Bellarminus de Eccles. lib. 3. cap. 15. *Melius dico, in Ecclesiâ aliquid videri, & aliquid credi. Videmus enim eum cœtum, qui est Ecclesia, sed quod ille cœtus sit ipsa vera Christi Ecclesia, non videmus, sed credimus.*

XLIV. Cæterùm Ecclesia quoque distinguitur in Universalem & particularem. Universalis est omnium locorum. Hujus tres constituuntur partes: Una ante legem: secunda sub lege: & tertia sub Evangelio. Vel brevius: una Veteris Testamenti; altera Novi Testamenti Ecclesia vocatur: Illa Israëlitica; hæc Christiana appellatur: quæ non essentiali formâ discrepant: sed in utrâque unus idemque est Christus, eadem doctrina, eadem fides, eadem spes, si essentialiam spectes: licet temporum & dispositionis varietas reliquorumque accidentium diversitas concedenda: quæ verò formam essentialem non mutant. Illi (ut Augustinus loquitur in Psalm. 36.) venturum Chri-

Christum crediderunt; nos exhibitum credimus; Et Justinus
quæst. & resp. 101. inquit, *Legem & Vetus Testamentum, esse Ev-*
angelium præannunciatum: Evangelium esse legem completam.

XLV. Particularis Ecclesia est unius loci, ubi tenen-
dum est, quod locorum respectu particulares dispersæ esse
possint, imò sint. Quæ verò dispersio nihil etiam adversatur
sive Ecclesiarum harum particularium, sive Electorum ipso-
rum unitati. Unitas namque ista quia non in loci, temporis,
corporum, aut ullâ aliâ rei externæ conditione consistit; sed
in conjunctione fidei & ipsius spiritus vinculo: hinc adeò fit,
ut quotquot fide istâ participant, & ubicunque Spiritus sancti
operationi in verbo & Sacramentis, locus aliquis relinquatur;
unitate istâ omnes contineantur. Quo respectu unitas Spiri-
tus eadem scire ab Apostolo appellata est, *Eph. 4. v. 4.* & ab ef-
fecto ipso, sanctorum communio nobis in symbolo Apосто-
lorum credenda proponitur.

XLVI. Cæterum ab unitate hæc Ecclesia quoque dici-
tur *Catholica* in symbolo Apostolico: dum Ecclesiam sanctam
Catholicam credendam esse perhibet. Quæ ita dicitur pri-
mùm ratione unitatis doctrinæ, quam profitetur & amplecti-
tur: quippe quæ unanimi Prophetarum & Apostolorum
omnium consensu & calculo approbata & confirmata fuit.

XLVII. Unde consequens est; quicumque cætus hanc
Catholicam doctrinam retinet & sequitur, eum Ecclesiæ Ca-
tholicæ ælogio gaudere: si vel maximè ex paucissimis personis
& vel uno saltem in loco, quantumvis angusto, sit collectus.
Quo sensu rectè Imperator Catholicorum nomen iis compe-
tere sancivit, qui in eâ religione versantur, quam D. Apostolus
Petrus tradidit, *c. de sum. Trinit. & fid. Cath. l. cum. pop.*

XLVIII. Deinde Catholica appellatur Ecclesia pro-
pterea, quod nullorum certorum locorum, temporum aut
hominum crepidinibus est inclusa: sed porta ejus indefinitè
cunctis gentibus semper & ubique locorum aperta patet.

XLIX. Hinc colligitur; quod illa Novi Testamenti Ec-
clesia sit propriè Catholica: 1. quæ Christiana & non hæretica
est,

est quippe quæ doctrinam Catholicam Prophetarum & Apostolorum tenet & profitetur. 2. Quæ particulares omnes suo ambitu complectitur. 3. Quæ ex Judæis pariter & gentibus collecta: Quæ denique ad nullum certum in mundo locum est alligata.

L. Quæ notæ ac *νεμεία* omnia ac singula cum Lutheranæ Ecclesiæ propriissimè competant ac tribuantur; de Pontificiâ verò verè negentur, illam revera, hanc vero nequaquam Catholicam esse, invictè concludimus.

L I. Secundum adjunctum vel axioma Ecclesiæ est *sanctitas*. Item *docent* (inquit confessio) *quod una sancta Ecclesia sit*. Consentit symbolum Apostolicum: *Credo sanctam Ecclesiam*. Non quidem, quod hisce in terris militans nullis amplius obnoxia sit peccatis aut infirmitatibus. Diversum enim docet communis omnium sanctorum querimonia, *Job. 9 v. 2. & 3. c. 15. v. 15.* & eorundem lapsus horrendi ac detestandi.

L II. Ut neque eò sensu perhibetur sancta, quod nulli amplius ei admixti sint hypocritæ & mali sive obstinati etiam peccatores: contrarium multis ostendit parabolis Christus Servator, *Matth. 13.*

L III. Sancta autem dicitur primùm per imputatam & communicatam sanctitatem obedientiæ Christi, qui tradidit semetipsum pro Ecclesiâ, ut sanctificaret eam, & lavaret lavacro aquæ per verbum, *Eph. 5. v. 25.* Deinde propter inhaerentem & propriam sanctitatem, quâ novitatem vitæ ingressi fideles virtute Spiritus sancti serviunt Deo in sanctitate & justitiâ coram ipso omnibus diebus vitæ, *Luc. 1. v. 57.*

L IV. Prior illa, quæ fit per imputationem, perfectissima obtingit Ecclesiæ etiam in hac vitâ, ita ut secundum illud *Ambrosii lib. 4. Hexaem. cap. 8.* Speciosa sit Luna, fulgens non suo, sed Christi lumine: & splendorem sibi accersens de Sole justitiæ, ut dicat, *vivo autem non ego, sed vivit in me Christus*. Posterior hæc non nisi inchoata in hoc seculo manet, cum perficienda demum, cum corruptibile hoc induerit incorruptibilitatem, *1. Cor. 15. v. 53.*

L V. Pontificii axiomatis hujus respectu, *Ecclesiam*
tantè

tantâ præditam esse sanctitate somniant, ut errare eam posse, planè sit impossibile. Verum ut quæstio hæc rectè & orthodoxe solvatur, duo sunt præmonenda 1. Magnam aut etiam maximam Ecclesiæ partem, cum de militante Ecclesiâ est sermo, non esse ipsam totam Ecclesiam, adeo, ut unò duntaxat individuò excepto, jam tota Ecclesia dici nequeat. 2. Multa in scripturis dici possibilia, quæ tamen nunquam facta noscuntur, ut de camelo per foramen acus transeunte, *Matth. 19. v. 24.* Et de duodecim Angelorum legionibus, quæ pro Christò pugnare possent, *Matth. 26. v. 53.*

LVI. Hypothesibus hisce præmissis affirmamus, posse quidem Ecclesiam errare, ut quæ constat ex hominibus, carnis infirmitatibus etiam post regenerationem subjacentibus: Et vero istam totam errasse unquam, unicò illo protoplasti excepto lapsu, negamus. Firma enim & immota stat promissionum veritas. quibus spiritum sanctum Ecclesiam ita in omnem veritatem ducturum recipit Dominus, ut ne inferorum quidem portæ adversus eam sint prævalituræ, sed potius mansura illa columnæ & firmamentum veritatis, *Job. 6. v. 13. Matth. 16. v. 18. 1. Tim. 3. v. 15.*

LVII. Et si contingeret totam Ecclesiam errare, utique & illud foret haud impossibile, totam Ecclesiam veram aliquando penitus expirare & intercidere. Id verò nequaquam fieri posse, tertio axiomate docebitur.

LVIII. De membris verò Ecclesiæ veræ respondemus, non illa tantum errare posse; sed maximam quoq; & potissimam eorum partem, imò columnas & antistites hallucinatos fuisse sæpissimè, etiam quoad errores, ipsum fundamentum directè concernentes, secundum illud Prophetæ: *Speculatores ejus cæci omnes, nesciverunt universi.*

LIX. Interim tamen hos nondum totam constituere Ecclesiam; & si non ex auditoribus aliqui, saltem infantes baptisatos erroris expertes remanere asserimus. Quod ipsum etiam de Papatu respondendum est. Reliquit enim DEUS sibi septies mille, qui genua coram Baal non flexerunt, *1. Reg. 19. v. 18.*

è qui-

ē quibus reservatis, dici verò non potest, quod Ecclesia erravit; sed pars duntaxat Ecclesiæ, vel maxima vel etiam potissima.

LX. Manet ergo inviolata sanctitas Ecclesiæ, si vel maxime magna, imo & potior ejus pars erret: ut quæ non requirit omnimodam omnium, qui illius sunt partes, sanctitatem: sed sufficit nonnullos, quantum vis etiam paucos in eâ sanctos esse. Et licet Ecclesia sancta sic à potiori definiatur; falsa nihilominus pontificiorum est assertio, Ecclesiam plane errare non posse, ut suo loco pluribus videbimus.

LXI. Tertium Ecclesiæ adjunctum sive axioma est firmitas seu duratio ejus perpetua: de quâ confessio: *Item docent, quod una sancta Ecclesia perpetuò mansura sit.* Quod in symbolo Apostolico *credendi* vocabulo exprimitur: *Credo sanctam Ecclesiam.* Creditur ergo Ecclesia, hoc est, in materia fidei ponitur: quæ uti perennis est; ita talem quoq; esse Ecclesiam, haud obscure ostenditur.

LXII. Fides enim hæc non in incerto consistit, sed infallibilibus nititur promissionibus Servatoris, qui se ad extremum usq; diem hujus seculi Ecclesiæ ita præsentem ad futurum recipit, ut vel inferorum portæ adversus eam non sint prævalituræ, *Matth. 28. v. 20. cap. 16, v. 18.* Prævalerent autem, si semel tota extirparetur. Promissio etiam præsentis cum gratiâ conjuncta est: quæ esse nisi in Ecclesia, non potest. *Es. 59. v. 21. Hoc erit fœdus meum cum istis, inquit Dominus; Spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, aut ab ore seminis tui ex hoc tempore usq; in seculum.*

LXIII. Quod si esse desit aliquando Ecclesia, quod fuit, corpus nimirum Christi; Christus quoque à perenni suâ conditione exierit, necesse est, id est, non amplius fuerit caput Ecclesiæ & servator corporis sui, (*Ephes. 1. v. 22. & cap. 5. v. 23.*) quod stare cum veritate nullò modo potest.

LXIV. Quò etiam respiciunt ea scripturæ testimonia, quæ regnum Christi, quod hoc in seculò ministerio gratiæ colligitur,

ligitur, æternum fore attestantur. Psal. 45. v. 7. *Solum tuum, Deus, in seculum & seculum: virga equitatis: virga regni tui.* Psal. 48. v. 9 *sicut audivimus, ita vidimus in civitate Jehovæ exercituum, in civitate Dei nostri: Deus firmavit eam usque in seculum.* Luc. 1. v. 33. *Regnabitq; super domum Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis.*

LXV. Neque obstat, quod Prophetæ & Apostoli haud rarò suis in concionibus ejusmodi querelas instituunt, quasi tempora fuerint, quibus nulla in terris vera superfuerit Ecclesia.

LXVI. Non enim ἀπλῶς, sed κατὰ π & comparatè id accipiendum est, hoc nimirum sensu, quod comparatione bonorum cum malis instituta, tanta illorum sit raritas & penuria, ut nulli fermè esse videantur.

LXVII. Faceffat ergo Donatistarum error, qui cum superiorum seculorum consensum in doctrinâ proferre nullum possent, totalem Ecclesiæ defectionem & interitum confixerunt. *Videatur Augustinus lib. de Unit. Eccles. cap. 12.*

LXVIII. Pontificij hîc nobis scrupulum, & quidem ipsorum judicio inextricabilem, obijciunt; nempe Ecclesiæ Lutheranae idem, quod olim Donatistis, usu venire, cum & ipsa superiorum seculorum consensum in doctrinâ proferre nullum possit.

LXIX. Sed salva res est. Nos evidentissimis documentis ad oculum demonstrare cum Deo parati sumus, doctrinam nostram ac religionem Lutheranam ex asse convenire, & consentire cum scripturis Prophetis & Apostolicis. Ut id in *Avb-θέσει* sufficienter probabimus.

LXX. Concludimus ergo, perennem esse Ecclesiam, sed ita, ut cribrationi sit obnoxia. Proindè non semper eadem sit Ecclesiæ forma, nec pariter semper floreat: sed quemadmodum corpus lunare nunc toto orbe refulget, nunc semiplenum est, nunc corniculatum, ipso tamen nequaquam intercidente corpore: Ita Ecclesiæ interdum major lux affulgeat: Interdum.

eidem triftiores tenebræ offundantur: nunquam tamen eâ deficiente & expirante: fed aliquâ femper remanente Ecclefia vera, fi non magnæ multitudinis; paucorum tamen fidelium: fi non fenfibus expofita, attamen Deo cognita, juxta illud: *Novis Dominus, qui funt fui*, 2. Tim. 2. v. 19.

LXXI. Id quod totus curfus Ecclefie veteris Teftamenti infallibiliter oftendit. Statim enim ab initio poft primam vetbi divini patefactionem, Cain cum cœtu fuo à puritate illius ad corruptelas demigravit: adeò quidem, ut Noæ temporibus longè lateque erroribus invalefcantibus, parietibus privatae domus ejus clauderetur Ecclefia. Jam fequentium Patriarcharum temporibus, quando idololatria in ipforum etiam familias, Mofe & Jofua attestantibus, irrepfit, in quantas anguftias redacta fuerit Ecclefia, quanta fub iudicibus periculofa & omnibus piis deplorata Religionis fuerit viciffitudo, modò errorum & idolomanie nebulis obfcuratae, dehinc rurfus in clariorem veritatis lucem emergentis: quæ varietas tum divini cultus, tum Ecclefie fub Regibus Ifrael & Juda: quo modo regnum decem tribuum Jeroboami Idololatria occupaverit, poftquam accessione furoris Baalitarum aucta fuerit: Regnum quoque Juda quomodo vices in doctrina religionis & cultuum fecundum Regum fuccedentium vel pietatem vel impietatem perturbaverint, notiffimum eft, & demonstratione non eget.

LXXII. Sed tandem fol Juftitiae Chriftus exoriens, totum mundum, & omnem hominem venientem in mundum illuminavit, *Johan. 1. v. 9.* nempe veritatem cœleftem ignorantiae & errorum corruptelis tantum non oppreffam detexit, & in clariffimâ luce reposuit, Evangeliumque à feculis tacitum ex finu æterni patris nobis enarravit, & patefecit.

LXXIII. Idem tamen infortunium Novi Teftamenti Ecclefia, quod olim vetus Dei populus, experta eft: Quando-
qui-

quidem sacra scriptura quatuor diversas Ecclesiae Novi foederis facies proponit conspiciendas.

LXXIV. Prima fuit temporibus Apostolorum, eaque clarissima maximeque conspicua : Quando illi Christi Delegati doctrinam Evangelii, ut eam veram & sinceram ab ipso Christo acceperant, sic quoque puram & incorruptam in toto terrarum orbe praedicarunt, & longè lateque disperferunt, *Matth. 28. Marci 16. Luc. 24. Colos. 1.*

LXXV. Atque de hac primitivae Ecclesiae puritate claritateque vaticinatus est Esaias cap. 2. v. 2. *Et erit, in novissimis diebus, preparatus erit mons domus Iehovae in vertice montium, & elevabit se praecollibus, confluentque ad eum omnes gentes : Et splendorem hunc lucidissimum, toti orbi illucentem idem Propheta fufius describit per totum caput sexagesimum.*

LXXVI. Satanas quidem etiam tum mysterij iniquitatis initia posuit, ut conqueritur Apostolus *2. Thess. 2. v. 7.* deque eius simul manifestatione vaticinatur : Extruere tamen & perficere illud ipsum, quod, excitatis Pseudoapostolis, moliebatur, non potuit.

LXXVII. Statim autem post abitum ex hac vita clarissimorum istorum syderum, nempe Apostolorum, subsequuta est altera Ecclesiae facies sanctorum Patrum temporibus : qui quidem doctrinam ab Apostolis relictam retinuerunt, sed humanis traditionibus, bona intentione susceptis, aliquantulum aspersam : uti conqueritur ipse Augustinus Epistola 119. Et superstitionum errorumque sanè non levium apud Patres ingravescentium exempla sunt obvia quam plurima : quibus Ecclesiae facies paulatim obumbrata, obscurius lucere coepit : aliquando etiam haereticorum procellis ad tempus magis magisque involuta fuit.

LXXVIII. Tertia porro Ecclesiae facies longè tristissima, ita errorum ac superstitionum quisquiliis involuta, ut ferè nulla amplius appareret. Quandoquidem omnes illos er-

rores, quos callidus ille infernalis serpens tenuiter antea disseminaverat, illos nunc accumulavit & coacervavit, ut universus ferè Christianismus in iis, tanquam caliginosâ, infaustâ & tartareâ nocte multis annis infelicissimè versatus sit.

LXXIX. Hanc autem Ecclesiæ conditionem sub Anti-Christi fore regno, tam clarè prædixit Spiritus sanctus in scripturis, ut si verum sit, quod Pontificii de uniformi Ecclesiæ statu garrunt, vaticinia illa oporteat esse falsissima, utpote quod Christus Matth. 24. v. 24. inquit: *Surgent Pseudo-Christi & Pseudo-Prophetae, & dabunt signa & prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri possit, etiam Electi.*

LXXX. Hoc ingens malum non extra Ecclesiam, sed in eâ futurum, Christus hoc ipso cap. v. 15. disertissimis verbis ostendit, inquit: *Quum ergo videritis abominandam vastationem, quæ dicta est à Daniele Prophetâ, stante in loco sancto.* Hanc autem desolationem ad Anti-Christum refert Paulus, 2. Thess. 2. v. 3. & 4. *Nisi venerit, inquit defectio prius, & relictus fuerit homo ille sceleratus, filius ille perditionis, sese opponens & effrensus adversus quicquid dicitur Deus, aut Numen, adeò ut in templo Dei tanquam Deus, sedeat, præ se ferens, se esse Deum.*

LXXXI. Et Johannes in Apocalypsi cap. 13. tantæ mentionem facit seductionis, quæ totum terrarum orbem occupatura sit: Et cap. 17. & 18. ait: meretricem purpuratam, (quæ est civitas illa magna, regnum habens super Reges terræ) inebriari vino scortationis suæ non paucas aliquas nationes & regiones, sed omnes gentes. Ubi hîc vera & Catholica Electorum Ecclesia fuit conspicua? Si enim conspiciebatur, eam Anti-Christus insecutus est, & rapuit ad supplicium, ebrius de sanguine sanctorum, & de sanguine Martyrum Jesu, Apoc. 13. Ubi opus fuit fide & patientiâ.

LXXXII. Fugit ergo Ecclesia, mulier illa (ut eam Apocalypsis nominat, cap. 12.) ab oculis & conspectu hominum, & in desertum in tenebras & latebras concessit, ibique multo tempore commorata est. Interire autem & planè exterminari ne-

ri nequivit, sed velut scintilla in cinere delituit, centum quadraginta millibus Electis obfignatis & conservatis.

LXXXIII. Quarta tandem Ecclesie Novi Testamenti facies & conditio ea est, quæ nitore pristino Apostolico restituta est, postquam Dominus cœpit Anti-Christum conficere Spiritu oris sui, & postquam Angelus ille habens Evangelium æternum, apparuit ad prædicandum habitantibus super terram, Apoc. 14. & 18. A cujus Evangelizantis Angeli gloria terram rursus, frendente ac furente Satanâ, illuminatam esse, liquidissimè docet Apocalypsis. Quomodo ergo perennis sit Ecclesia, constat.

FINIS.



Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

DEUTSCHER
KÖNIG

JACOBO

99 A 6900

ULB Halle 3
002 622 092





SB

Repro

VD 77







B.I.G.

Farbkarte #13



45

TERTII
 Confessionem

NO XII.

ens

VLI VII.

ESIA,

ta

nia V Vittebergenfi

IDE

RTINI S.S. Th.

imario, Facult. Theol.

Arcis Præposito,

DENTE

offer Facult. Philosoph.

e&t. Alumn.

ollegii Veteris

, Junii.

BERGÆ,

AUERBACH, Acad. Typogr.

DC XXX.

